



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Qvanto inculpatus in speciem vivunt haeretici, tanto magis nocent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

nistra. Sejuncta sunt longe divina ab humanis cõ-
silia. Quæ hominibus uno modo deliberata sunt,
Deus alio exsequi solet: ac justitiæ suæ malleo homi-
nũ corda quovis ferro & adamãte duriora prius
ferire non cessat, quam emollita fuerint, & divine
se subiecerint voluntati. Vidimus hætenus Hære-
ses in Francia ortum & progressum; non multo
post ejusdem decrementum, ac tandem quibus ad
futurum sæculum vivere contigerit, præcipitem
visuri ruinam: Interea vero miserorũ illorum atq;
obscæcatorum hominum supplicia lectori repræ-
sentemus, eorumq; inter ferrum ac medios ignes,
quibus tamquam Sathanæ martyres ustulandi ob-
jecti sunt, pertinaciam expendamus.

QVOMODO DIABOLVS TAMQVAM DEI
Simia, suos quoque habeat martyres.

CAPUT SEXTUM.

ARGVMENTVM.

- I. Quanto inculpatus in speciem vivunt heretici,
tanto magis nocent.
- II. Heresis ex pseudomartyrum suorum pervicacia
magna cepit incrementa.
- III. Hereticorum supplicia Catholica Ecclesie ma-
gis nocuerunt, quam profuerunt.
- IV. Potest hereticus pro Iesu Christo mortem obire,
nec tamen propterea Martyris nomen meretur.
- V. De vera & ficta constantia.
- VI. Etiam diabolus suos habet martyres.

PAntheram ajunt rerum Naturalium scripto-
res tam suavem spirare odorem, ac pellẽ ha-
bere tam pulcra versicolorum macularũ varietate
distinctam, ut reliquas feras ad sese alliciat, & ille-
ctas devoret: utpote omniũ maxime ferum & sæ-
vum animal, quod & nominis ipsa testatur ratio,
à τὸν & θῆρ, id est, omnimoda feritate derivati.
Ejusdem naturæ & ingenii est diabolus, dũ nimirũ
hæreticorum feritatem & sordes suaveolenti qua-
dam & grata virtutum specie tegit, eaq; simpliciu
animos ad se allicit, quos deinde illa infernalis pã-
thera ferino suo rictu deglutit ac devorat. Hinc est
quod plerunque hæreticos videmus initio miram
quandam vitæ ac morum integritatem præ se fer-
re, ut non sanctificati tantum, verum etiã deificati
quodammodo videantur; sicut ex Adamitarum &
Anabaptistarum exẽplis hodie quoq; patet. Acqui-
santũ ab hoc hominum genere majus est periculũ,

quod sub persona hac simulata inveteratam suam
malitiam celant, & sub vultu nive ac marmore cã-
didiore animum ebena nigriorem ac duriorẽ ge-
runt. Hinc magnus ille Origenes recte dixit, ab Hæ-
reticis bonæ vitæ majus esse periculum, ut qui fa-
cilius doctrinam suam alius obrudant quam ii qui
moribus sunt dissolutis. Qui enim male vivit, ut i-
dẽ inquit, nõ facile aliis erroneam suam doctrinã
persuadebit: at qui bonis est moribus, facile eorũ
qui aurem ipsi præbent, simplicitati imponet, bon-
næ atque integræ vitæ velo perniciosam suam &
hæreticam doctrinam celans. Eoque idem monet
Origenes, ut hæreticos probam in speciem vitam
agentes in primis fugiamus, ut quorum mores non
tam à Deo quam à diabolo dirigantur: & quorum
bona opera velut esca sunt, quã diabolus hamo er-
roris inducit. Idem ante Origenẽ S. dixit Ignatius,
monens, Ut eos qui novam adferunt doctrinã, et-
iamsi homines sint fide digni, etiamsi frequenter
jejunent, etiamsi castitatem sollicitè custodiãt, et-
iamsi miracula faciant, adeoque Prophético spiri-
tu sint præditi, tanquam lupos ovilis pellibus te-
ctos, fugiamus, atque etiamsi bona sua pauperibus
erogent, etiamsi miracula faciant, montes trans-
ferant, & per medios ignes, ad conciliandam opi-
nionibus suis fidem, transeant, horrori nihilomi-
nus atque abominationi habeamus.

Hac vitæ ac morũ, Christianis digna, si exteriora
spectes, simplicitate ac modestia, primo Luthe-
rani, ac deinde Calvinistæ multos in Gallia dece-
perunt: qui quũ credere nõ possent, falsam doctri-
nam vitæ tam sanctæ atq; innocentis comitẽ esse
posse, nec sub tam exquisito Anchisæ ducis vestitu
tam sædã eluviẽ latere, majorũ deserta religione,
ad homines ejusmodi nihil nisi meram sanctitatẽ
spirantes, defecerunt. Nihil illis frequentius in ore
erat quam Iesu Christi nomen: nullũ aliud jus-
jurandum quam unum illud *Certe* vel *Ita*, inter eos
audiebatur. Sicut omnis luxus, superbix, & cetero-
rum in Mundo, ac præsertim apud Catholicos,
ut illi jaebant, frequentiu vitiorũ hostes se pro-
ferebantur. In festis solennioribus & epulis loco ti-
biarũ & chorearum, sublatis mensis, ex Bibliis ali-
quid legebatur, aut spiritualis quædã cãtio, in pri-
mis Psalmus aliquis, postquã is liber in rhy-
mos redactus fuit, cantillabatur. Femina in primis sin-
gularẽ in vestitu & habitu modestiam præ se fere-
bant, sic ut in publico Evæ quædã dolentes, aut Ma-
riæ Magdalenæ pœnitentes viderentur, ut Tertul-
de sui ævi mulierib⁹ loquitur. Viri toti mortificati,
Gg
Spiri-